

Psalmus 102

- 1 Benedic anima mea Domino:
 et omnia quae intra me sunt nomini sancto ejus.
- 2 Benedic,anima mea Domino:
 et noli oblivisci omnes retributiones ejus.
- 3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis:
 qui sanat omnes infirmitates tuas.
- 4 Qui redimit de interitu vitam tuam:
 qui coronat te in misericordia et miserationibus.
- 5 Qui replet in bonis desiderium tuum:
 renovabitur ut aquilae juvenus tua:
- 6 Faciens misericordias Dominus:
 et iudicium omnibus injuriam patientibus.
- 7 Notas fecit vias suas Moysi,
 filiis Israel voluntates suas.
- 8 Miserator et misericors Dominus:
 longanimis, et multum misericors.
- 9 Non in perpetuum irascetur:
 neque in aeternum comminabitur.
- 10 Non secundum peccata nostra fecit nobis:
 neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.
- 11 Quoniam secundum altitudinem caeli a terra:
 corroboravit misericordiam suam super timentes se.
- 12 Quantum distat ortus ab occidente:
 longe fecit a nobis iniquitates nostras.